

The *Lucula noctis* Project

(<http://web.wlu.ca/history/cnighman/LN/index.html>)

Studium ac

Item [Seneca] epistola lxxxvii^a scribit:

“Apes debemus imitari, que ut vagantur et flores ad mel faciendum ydoneos carpunt; deinde quicquid attullere disponunt ac per favos digerunt.

Ita debemus quecumque ex diversa lectione conguessimus separare (melius enim distincta servantur); deinde ad debitam facultatem ingenii in unum saporem varia illa libamenta confundere, ut, etiam si apparuerit unde sumptum est, aliud tamen esse quam unde sumptum est appareat.”

Lucula noctis, 8 (E. Hunt ed., p.61, ll.30-38).

Apes debemus imitari que ut uagantur et flores ad mel faciendum ydoneos carpunt; deinde quicquid attullere disponunt ac per fauos digerunt.

Ita debemus quecumque ex diuersa lectione conguessimus separare; melius enim distincta seruantur; deinde ad debitam facultatem ingenii in unum saporem uaria illa libamenta confundere ut eciam si apparuerit unde sumptum est, aliud tamen esse quam unde sumptum est appareat.

Seneca ibidem (LXXXVII. epistola).

Manipulus florum, Studium ac

Apes, ut aiunt, debemus imitari, quae vagantur et flores ad mel faciendum idoneos carpunt, deinde quidquid attullere disponunt ac per favos digerunt et, ut Vergilius noster ait, ‘liquentia mella stipant et dulci distendunt nectare cellas’. De illis non satis constat, utrum sucum ex floribus ducant qui protinus mel sit, an quae collegerunt in hunc saporem mixtura quadam et proprietate spiritus sui mutant. Quibusdam enim placet non faciendi mellis scientiam esse illis sed colligendi. Aiunt inveniri apud Indos mel in arundinum foliis, quod aut ros illius caeli aut ipsius arundinis umor dulcis et pinguior gignat; in nostris quoque herbis vim eandem sed minus manifestam et notabilem poni, quam persequatur et contrahat animal huic rei genitum. Quidam existimant conditura et dispositione in hanc qualitatem verti quae ex tenerrimis virentium florentiumque decerpserint, non sine quodam, ut ita dicam, fermento, quo in unum diversa coalescunt. Sed ne ad aliud quam de quo agitur abducatur, nos quoque has apes debemus imitari et quaecumque ex diversa lectione conguessimus separare (melius enim distincta servantur), deinde adhibita ingenii nostri cura et facultate in unum saporem varia illa libamenta confundere, ut etiam si apparuerit unde sumptum sit, aliud tamen esse quam unde sumptum est appareat.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae morales*, 84.3-5 (L. Reynolds ed., vol.1, pp.285-6, ll.15-24, 1-15).